

Sacramentum Baptismi suscipere, si jam haberet caracte- rem baptismalem: Cum illud ab habente caracte- rem baptismalem suscipi non possit, ratione cuius iterari non potest. Tertium est, quod adultus suscipiens martyrium, ex Scoto 4. d. 4. q. 6. teneatur habere votum Baptismi humani, si huius recorderetur, quia per martyrium ab observantia Legis suscipiendi Baptismi Sacramentum non eximitur, nec a voluntate servandi eam: unde, inquit Scotus, quod, si martyr supervivat, teneatur ad Baptismum in re suscipiendum, quia non est exemptus ab observantia Legis Divinæ; si verò non recorderetur, in tali casu solum martyrium sufficit, & votum Baptismi implicitum, & virtuale.

Q U Æ S T I O III.

Quæ conditiones, & dispositiones requirantur ad baptismum sanguinis, seu martyrium in adultis.

S U M M A R I U M.

- 130 Prima ad martyrium requisita conditio est vera Catholica fides.
131 Secunda est pia voluntas tolerandi mortem pro Christo.
132 Tertia est mors illata. 133. In odium Dei, vel virtutis. 134. Modo violento. 135. Homini non resistenti.
136 Quarta est dolor supernaturalis de peccatis.
137 An martyrium sit de præcepto, & an liceat ei se sine iusta causa ingerere.

A S S E R T I O III.

AD martyrium in adultis requiruntur quatuor conditiones. 130. Prima est vera fides. Secunda est pia intentio tolerandi mortem pro Deo. Tertia est, ut homini non resistenti mors violenter inferatur, vel saltem lethalia vulnera in odium Dei, vel Religionis Christianæ, vel alicujus virtutis. Quarta est, ut, si homo sit in peccato mortali, eliciat attritionem supernaturalem de suo peccato. Ita communis apud Magistrum, Herincx, Gobat, & alios.

§. I. Prima conditio ad verum martyrium, & ejus effectum requisita, in adultis, ex parte intellectus, est vera Catholica fides.

EST certa. Patet ex S. Augustino l. 1. de bapt. c. 11. & deducitur, tum ex generali doctrina de necessitate fidei quia sine fide impossibile est placere Deo, Heb. 11. Tum ex conditione ipsa martyrii, de cuius ratione est, ut moriatur homo pro vera fide, nimirum fide Divina, & infusa, qualis non est, nisi fides Catholica. Quare si infidelis, vel Hæreticus occidatur, etiam pro defensione, & confessione alicujus articuli veri, quem credit, non propterea est martyr, nec gratiam martyrii consequitur. Sufficit autem mortem subiri, vel in defensionem veritatis nostræ fidei, vel etiam aliarum virtutum, quatenus in Deum referuntur, & sunt veritatis nostræ fidei protestativæ, nam generaliter loquendo, omnia virtutum opera, secundum quod referuntur ad Deum, sunt quædam fidei prestationes. Quicunque enim vult potius morti se exponere, quam aliquo peccato Deum offendere, vel ab actu virtutis tunc exercendæ desistere, jam ipso facto protestatur, tantum esse debere obsequium creaturæ in Deum, ut omnibus aliis speris, etiam propriæ vitæ præferri debeat: unde omnium virtutum opera possunt esse causa martyrii: & sic S. Joannes Baptista fuit verè martyr, quia in odium virtutis, & veritatis, quam libere, & impavidè prædicabat, fuit ab Herode occisus: ut notat Aversa quæst. 70. sect. 6. ex D. Th. 2. 2. q. 124. art. 3. apud Magistrum in 4. d. 2. q. 7. n. 196. Sic ab Ecclesia tanquam veri martyres coluntur S. Thomas Cantuariensis Episcopus occisus pro libertatis Ecclesiasticæ defensione, multæ sanctæ Virgines interceptæ pro custodia castitatis; Machabæi intercepti pro observatione Legis Judaicæ. Herincx dist. 8. de bapt. q. 1. num. 4. At quid si quis ex errore invincibili credat, illud opus, ob quod obruncatur esse præceptum à Deo, cum tamen sit veritum, an erit appellandus martyr? Respondet Raynaudus, apud Gobat tr. 2. de bapt. casu 18. n. 607. Affirmativè, eò quod talis mortem subeat idcirco, quod nolit agere contra conscientiam invincibiliter errantem.

§. II. Secunda conditio, ex parte voluntatis requisita, est pia intentio, seu voluntas tolerandi mortem pro Deo.

131 Communissima Theologorum apud Magistrum c. n. 197. Herincx c. nu. 9. & alios. Ratio est, quia Deus non

salvat adultos nolentes, sed volentes, & ut inquit D. Augustinus, non salvat nos sine nobis, hoc est, sine nostro consensu, & voluntate. Deinde quia sicut in adulto requiritur ad minus intentio suscipiendi baptismum, ut Sacramentum sit validum: ita etiam requiritur in adulto intentio, & voluntas in susceperunt martyrium. Hæc autem intentio, & voluntas debet esse pia, hoc est, honesta, & ex motivo supernaturali: nam si fiat propter vanam gloriam vel aliud humanum motivum; non meretur illa mors martyrii nomen, quia talis actus neque est actus virtutis, neque fortitudinis, nec Religionis, aut alterius virtutis. Quod etiam esse debeat ex supernaturali motivo, ex eisdem deducitur principiis; nam aliàs homo ille non pateretur, ut Christianus, sed ut Philosophus, & consequenter non pateretur, aut moreretur pro Christo, aut defensione fidei & Religionis Christianæ. Denique sufficit, ut hæc voluntas sit antecedens, & non retractata: Unde qui semel habuit voluntatem subeundi mortem pro Christo, & nunquam illam retractavit, si in somno propter Christum occidatur, vel in odium fidei, si careat peccato mortali, vel ante somnum de eo saltem attritionem habuerit, consequitur effectum martyrii, sicut etiam effectum Baptismi consequeretur; & ratio est, quia præcedens voluntas non retractata moraliter perseverare censetur, & actus attritionis præcedens, tollit obicem effectus martyrii. E contra verò, qui nunquam habuit voluntatem moriendi pro Christo, si in somno pro Christo occidatur, etiam si iustus sit, non consequitur effectum martyrii, nec per talem mortem gratiæ augmentum acquirit.

§. III. Tertia conditio martyrii est mors illata.

ITAQUE ad completissimum, & securissimum genus 132 martyrii, requiritur, ut mors re ipsa sequatur; sufficit tamen etiam, quod causa sufficiens mortis sit posita ex qua naturaliter ipsa consequeretur, nisi divinitus impeditur; prout impedita est in tribus pueris in fornace Babylonica, in S. Joanne Evangelista misso in ferventis Olei dolium: Omnes enim eiusmodi ab Ecclesia inter martyres enumerantur, & acceptatio illa mortis est, tam efficax testimonium fidei, ac si re ipsa mors subsequeretur. Unde indubie Laureolam martyrii consequentur, quia Deus eos confirmabit in gratia ulque ad mortem, ne detrimentum patiantur ex vita sibi miraculosè conservata, ut dictum q. præced. §. 3. n. 126.

II. Mors debet esse illata in odium Dei, Christi, vel Religionis Christianæ, vel ob aliquam virtutem. Ita communiter Theologum S. Augustino Conc. 2. in Psal. 34. dicente: martyrem non pena, sed causa facit; Pena enim communis est latroni, & martyri; hæretico, & Catholico, sed causa dispar. Ratio est, quia martyrium est testimonium Deo, sive Christo datum per mortem pro ea toleratam; non censetur autem per illam testimonium Deo datum esse, nisi ob prædictas causas mors sit illata. Unde S. P. N. Franciscus à Christo vulnera recipiens, quantumvis fuisset lethalia, non fuisset proprie martyr, quia non in odium Dei fuere impressa; similiter nec bonus latro fuit martyr; ut supponit etiam S. Augustinus l. 4. de bapt. c. 22. quia non in odium Christi fuit occisus. Dicitur etiam; Vel ob aliquam virtutem; quia juxta dicta §. 1. hujus quæstionis, omnium virtutum opera possunt esse causa martyrii. Sic B. Joannes Nepomucenus est verus martyr, quia Pragæ in Moldavam projectus, & submersus est ob sanctè servatum sigillum Sacramentale. Sciendum autem, quod si quis ob prædictas causas occidatur, verè sit martyr, etiam si Tyrannus alios falsos prætextus fingat. Nam etiam Judæi alia prætexebant contra Christum, nempe, quod peccasset in legem Moyli &c. ideoque illum velut malefactorem occidisse volebant videri; & tamen martyr erat, imò Dux, & Princeps martyrum. Similiter in primitiva Ecclesia, interdum occidebantur martyres, verè quidem pro Christo, tamen sub prætextu perversionis Reipublicæ. Pari modo solent in Anglia, & interdum in Belgio solebant Hæretici prætexere causam Status, verè tamen intendentes persecutionem, & eversionem Catholicismi, à quo recedens facilè libertate donata.

III. Mors debet esse violenter illata: quamvis enim aliquis pro Dei gloria; & proximorum salute moreretur morte naturali, non tamen propterea proprie martyr censendus foret. Quare imprimis martyres solo desiderio, non sunt proprie martyres, etiam si ex vehementi desiderio, & Dei amore morerentur. Deinde nec morientes morte naturali ex causa pia, v. g. vitam ponentes pro Christo in servitio pestiferorum, sunt proprie martyres, etsi minus proprie sic appellentur in Martyrologio Romano, ad diem 28. Februarii: ubi recitatur Commemoratio Sanctorum Præbyterorum, Dia-

conorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis severissima grassaretur Alexandria, morbo laborantibus ministrantes, liberrimè mortem oppetere, quos, velut martyres, Religiosa priorum fides venerari consuevit, ubi notat ly velut martyres. Ergo non tanquam proprie martyres ab Ecclesia coluntur: licet ita mortem oppetere sit opus Heroicum affine martyrio, etsi non proprie habens rem, & privilegium martyrii. Herincx d. 8. de bapt. q. 1. n. 3.

IV. Denique mors debet esse illata non repugnantis. Communis apud Herincx c. n. 7. Ratio est, quia resistens, seu repugnans non censetur mori tanquam testis Christi, sed tanquam miles ab hoste victus. Item, quia martyr in patiendo debet conformari Christo patienti, cum Christi passio sit exemplar martyrii; Atqui Christus dedit testimonium veritatis, patiendo absque repugnantia; Nam cum pateretur, non comminabatur, sed tanquam ovis coram tonante se obtulit: ergo similiter martyr non debet repugnare. Et hinc commune dictum: Martyr non pugnat. Unde milites etiam in bello fidei occubentes, etsi plurimum mereantur, si recto fine, & modo bellum gerant, nunquam ab Ecclesia sunt pro martyribus habiti. Essent nihilominus martyres, si jam victi, nec resistentes occiderentur odio Religionis. Deinde non obfaret martyrio, quod martyr fuga mortem declinare studeat; imò, quod etiam reniteretur, seu idem v. g. gladii impedire conaretur, dummodò sine conatu inferendi alteri malum.

§. IV. Quarta conditio est attritio supernaturalis, requisita in peccatore.

UT martyrium conferat suum effectum homini, qui est in peccato mortali, requiritur in eodem dolor supernaturalis de peccatis commissis. Communissima apud Magistrum c. n. 198. Ratio est: quia nihil magis, & frequentius in S. Scriptura inculcatur, quam hic dolor de peccatis commissis ad veniam impetrandam. Unde Conc. Trid. sess. 14. c. 4. definit, hunc dolorem quovis tempore fuisse necessarium ad impetrandam peccatorum veniam, & constat à paritate Sacramenti Baptismi, & penitentia, quæ quamvis per se primò sint instituta ad remittenda peccata, & primam gratiam conferendam ex opere operato, ad hoc tamen requirunt de peccatis commissis alicquem dolorem supernaturalem: ut de penitentia definit idem Concilium loc. c. & de bapt. sess. 6. c. 6. Ergo à fortiori martyrium hunc quoque dolorem requirit, quod non est primò, & per se institutum ad delenda peccata, sed hoc habet ex adjuncto privilegio. Unde qui habet alicujus peccati mortalis complacentiam, etsi martyrium patitur, nullam consequitur veniam. Quod autem non necessariò requiratur contritio perfecta, sed sufficit attritio supernaturalis, & in aliquo casu etiam sola voluntas efficax subeundi mortem pro Christo, docet P. Patritius Sporer Theol. sacr. p. 3. c. 2. sect. 2. n. 161. & seq. quem, quæso, vide.

His igitur quatuor conditionibus positis, erit verè, & perfectum martyrium, atque conferet martyri infallibiliter suum effectum, videlicet gratiam sanctificantem, remissionem omnis culpæ, & penæ, ac insuper speciale Laureolam, seu, ut cum S. Tho. loquuntur communius Theologi, Aureolam. Ubi notandum, martyrium rarò esse in præcepto; cum rarò occurrat tam gravis necessitas, ob quam ita teneatur subire martyrium, ut illud non liceat fuga declinare. Herincx c. n. 15. Addens n. 16. Non licere citra justam causam v. g. salutis proximi, in functionibus missionis, profectus fidei, & honoris Divini &c. aut Divinum instinctum se morti ingerere, id enim esset Deum tentare, vel periculum casus quærere absque sufficienti securitate de constantia. Nec mens martyris esse debet, provocare Tyrannum ad actum malum, sed profiteri fidem, etiam expressè protestando, se ex sua parte passionem expetere (in qua essentialiter consistit martyrium, etsi actio Tyranni tanquam conditio necessaria concurrat) nec obitare passionem, velle se, à fide, aut virtute declinare, quin potius illam effuso sanguine confirmare.

Q U Æ S T I O IV.

Utrum per baptismum sanguinis, seu martyrium, possint etiam Infantes salvari absque baptismo Fluminis, seu Aquæ?

S U M M A R I U M.

- 139 Infantes sunt martyrii capaces.
140 Quid requiratur ad martyrium infantium.
141 Martyrium prodest infantibus ad salutem sine baptismo aquæ.

- 142 Infantes in utero Matris occisi in odium Christi sunt veri martyres, & salvantur.
143 An baptismus Infantium alio adhuc modo, præter martyrium suppleri possit?

A S S E R T I O IV.

Infantes sunt capaces baptismi sanguinis, seu martyrii, 138 quod in eis præcisè requiritur mortem in odium Dei, vel Christi, violenter illatam, eisdemque prodest ad salutem sine baptismo Fluminis, seu aquæ, etiam, quando in Utero Matris, in odium Dei, vel Christi occiduntur. Est communissima DD. citandorum.

§. I. Infantes sunt capaces martyrii.

HÆC est sententia Doctores Angelici 2. 2. q. 124. a. 1. ad 139 1. Doctores Subtilis in 4. d. 4. q. 3. Richardi, Gabrielis, Soti, Cajetani, Mastrii, Herincx &c. etque adeo certa juxta Suar. disp. 29. sect. 1. ut sine temeritate negari non possit. Probat autem ex traditione Ecclesiæ, & Sanctorum Innocentium exemplo, quos Ecclesia tanquam martyres colit, & passim à Sanctis Patribus pro martyribus habentur, unde inquit S. Augustinus l. 3. de lib. arbit. c. 23. Non frustra infantes illos, qui ab Herode occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia, & ita eos appellat SS. Chrysostomus, Cyprianus, Bernardus, Hilarius, Hieronymus, Beda, & alii Patres, quorum verba passim referunt recentiores, & argumenta in contrarium subtiliter dissolvit Mastrius Scotista Nobilis, quem, si placet, vide in 4. d. 2. q. 7. a. 4.

§. II. Martyrium Infantium.

PRÆCISÈ requirit, ut eisdem mors violenter inferatur in odium Dei, vel Christi, vel Christianæ Religionis, ob eandem rationes ob quas in martyrio adultorum, q. præced. §. 3. hanc conditionem requisivimus. Reliquæ verò conditiones, nimirum vera Catholica fides in martyre, pia intentio tolerandi mortem pro Christo, item dolor supernaturalis de peccatis commissis, & ut martyr non resistat, non requiruntur in infantibus, siquidem non sint rationis compos, adeoque nec credere, nec piam intentionem tolerandi mortem pro Christo elicere, nec peccare, aut de peccatis dolorem elicere, ut voluntariè, & moraliter repugnare possint, Herincx cit. q. 1. n. 10. Quia in infantibus requiritur solum Testimonium materiale, siquidem Præconium Dei non loquendo, sed moriendo, confiteantur, ut de martyribus Innocentibus canit Ecclesia. Christus namque mortem parvulis illatam sui causa compensat, benignissimè supplendo actualis illorum voluntatis defectum, sicut in Baptismo. Unde Doctor noster Seraphicus S. Bonaventura 4. dist. 4. p. 2. in Expos. textus, dist. 4. ait: Hoc dico, quia qui propter hoc solum occisus est à persecutore, cum portaretur ad baptismum, ne baptizaretur, moritur pro baptismo: idè in sanguine suo piè creditur baptizatus.

§. III. Martyrium prodest infantibus ad salutem sine baptismo aquæ.

COMMUNIS DD. Ratio est. 1. Quia verum martyrium sufficiens est ad salutem sine baptismo aquæ, ut constat ex dictis supra: atqui infantium martyrium est verum martyrium ex mox dictis; Cum Ecclesia eodem modo inter martyres numeret quoslibet infantes, qui in Lege gratiæ pro Christiana Religione mortui sunt, ut constat ex omnibus historiis Ecclesiasticis, & ex modo loquendo SS. Patrum teste Suar. cit. Ergo martyrium prodest infantibus ad salutem sine Baptismo aquæ. 2. Quia Marci 8. dicitur. Qui perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam. Quæ sententia generalis locum etiam habet in parvulis, cum & ipsi censeantur perdere animam suam propter Christum, quando in ejus odium occiduntur. Unde martyrium supplet in parvulis locum Baptismi, idque efficaciori modo, majorem scilicet gratiam tribuendo, justificantem à peccato originali, quia, qui martyrizantur, re ipsa commoriuntur Christo, qui autem baptizantur tantum in figura, ut tradit Clemens Romanus lib. 5. const. Apost. cap. 5.

§. IV. Infantes in utero Matris occisi in odium Christi sunt veri martyres, & salvantur.

ITA expressè Scotus 4. d. 4. qu. 3. Herincx, Mastrius, &c. cum communi, idque satis certum est, si Tyrannus intendat eos occidere, quia tunc nihil deest ipsorum martyrio, quin sit verum, & perfectum, adeoque justificet eos à pec-



